



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Centvriæ Selectorvm Casvum Conscientiæ. I. II. III.tia

Burghaber, Adam

Fribvrgi Brisgoiæ, 1665

21. Dalmativs ruri inueniens Clericum cum fœmina concumbentem egregiè fuste excipit, idque absque excommunicatione.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40942

cium quidem fecisset, sed non lethale, nisi in casu primæ partis responsionis nostræ. Atque hoc animo fingendi se virginem gessit fortasse in capite corollam virginitatis signū fœmina illa iam corrupta, quæ idcirco accedens ad sepulchrum Sancti Martyris Stanislai meritò fuit cœlitus punita, esto etiam mortaliter non peccauerit. Et sic patet ad tertium.

XXI. *Dalmatius civis cum in campum exiret fructus agrorum suorum inspecturus incidit ibi in Sacerdotem rem cum fœmina quadam habentem, quo viso ad eum indoluit, ut mox ipsum invaderet, & fuste, quem in manu gerebat, egregiè exciperet, absque tamen graviore vulnere inflicto, aut sanguine effuso. Queritur. Vtrum incurrerit excommunicationem?*

Videtur incurrisse ex *Can. Si quis suadente. 17. q. 4.* cum neque excusetur ex obiecto, si quidem fœmina non fuit ipsius vxor, soror, aut filia, cum quibus solis deprehensum Clericum absque excommunicatione percuti, imò (licet non absque peccato) occidi posse ex communi tradit Bonacin. *Tom. 3. D. 2. Q. 3. pun. 6. sect. 4 n. 6:* neque ex modo, cum percussio fuste facta omnium iudicio censeatur violentia corpori illata: neque ex ignorantia, cum probè nouerit, & Clericum esse, & huius percussione prohiberi, ut ponimus.

Resp. Dalmatium probabiliter non incurrisse

currisse excommunicationem ex contrario fundamento, quod nihil fecerit contra *citatum Canonem*. Tum quia, quando percussione Clerico nulla infertur vis, nihil agitur aduersus illum Canonem, ut communiter docent Theologi, & patet ex ipso textu. Atqui percussione ob defensionem alieni corporis facta nulla Clerico infertur vis, vt deciditur *C. si vero, &c. ex tenore de Sent. excommunicat.* Ergo &c. Ad talem autem defensionem in proposito facta est percussio Clerici, qui videbatur iniustus aggressor fœminæ. Tum quia, vt percussio Canonis aduersetur, debet & externa læsio esse iniuriosa statui Clericali, & internus animi affectus mortalis, vt bene notant Suarez, Henriquez, Sanchez, Layman *L. I. Tr. 5. P. 2. C. 5. n. 5.* & alij. Sed neutrum fuit in proposito, cum percussio ista cõtigerit ex subitâ animi passione, & dolore commissi sceleris, quod statum Clericalem adeò dedecet, DEVM offendat, homines scandalizet, Ergo, &c.

Ad rationem in contrarium dicimus, Dalmatium excusari ex modo, quia illius percussio neque iniuriosa fuit statui Clericali: neque ex mortali animi affectu processit, sed ex Zelo quodam, licet indiscreto, & subitâ passione non plenè aduertente; quam excusare à Censura, tradit etiam Palao de Censur. D. 3. pun. 23. §. 2. n. 3.